

QR. 520, 14.

B. m.

IIa
148

DE
CODICIBVS
 NONNVLLIS GRAECIS MANV
 SCRIPTIS IN BIBLIOTHECA
 AVGVSTA CAROLINA SIVE
 GVELPHERBYTANA
 PRAEFATVS

AD
ACTVM VALEDICTORIVM
 IN SCHOLA DVCALI APVD SCHENINGENSES
 D. XI APRILIS A. R. S. MDCCLV
 HORA POST MERIDIEM SECVNDA
 CELEBRANDVM
 PRAESVLEM SVMME REVERENDVM
 ET SCHOLAE NOSTRAE EPHORVM
 LONGE GRAVISSIMVM
INSPECTORES ITEM AC PATRONOS
OMNIS ORDINIS
 IMPENSE COLENDOS
 EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ET STVDIO
 INVITAT
 M. IO. ADAM SCHIER.

HELMSTADII

EXCVDEBAT PAVL DIETERIC SCHNORR
ACAD. TYPOGR.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



CODICIBVS
FRANCIS RANA
SCRIPTIS IN BIBLIOTHECA
AVGVSTA CAROLINA SIVE
GVLTERBVRGANA

ACTVM IN VLTIMO
IN SEPTIMO MENSIS
MAYI ANNO DOMINI 1783

IN VLTIMO MENSIS
MAYI ANNO DOMINI 1783
DIRECTORVM FIRMA PATRONVS
ORDINIS

M. IO. ABAL. SCRIBIT





Bibliothecam Augustam Carolinam sive Guelpherbytanam in tota, quantacunque est, Germania, si excipiamus Augustissimam Caesaream Vindobonensem, principem tenere locum, neminem in civitate erudita fugit. Sive aedificii elegantiam, sive librorum tam typis excusorum quam manu exaratorum multitudinem, aliaque ornamenta spectes, sive facilem accessum, (*) tantum inter alias caput extulit orbis bibliothecas

Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

A 2

Quon-

(*) Scribit eadem de illustri *Ambrosiana Mediolanensium* Bibliotheca & *travo Mabillonius* in Museo Italico T. I, P. I, p. II. seq.

Quondam *Bibliotheca Palatina* five *Heidelbergensis* palmam omnibus praeripiebat et vix per totam Europam parem habebat. Sed postquam in ferali illo bello, quod Germaniam per triginta annorum spatium adflixit, A. R. S. MDCXXII mense Septembri milites Caesareani, *Tyllio* duce, illustre hoc Musarum domicilium vastarunt et subsequenti anno *Maximilianus*, utriusque Bavariae Dux, thesaurum hunc librarium, omni auro cariorem Pontifici Romano *Gregorio XV*, obtinendi electoratus causa, Romam deportandum curavit, ubi nunc summam *Vaticanae* dignitatem conciliat, sola nostra *Augusta Carolina* Heidelbergensis amissae desiderium lenire potest. (*) Vti inter omnes

con-

(*) Teste IO. LOMEIERO in singulari libro de bibliothecis p. 202. ultra centum multi MStis tantum codicibus onusti, quasi triumphali pompa, per totam Germaniam et Italiam Romanusque, pensiles tabellas, litteris uncialibus haec verba exhibentes, praeferebant: *Sum de bibliotheca, quam, Heidelbergae capta, spoliū fecit, et P. M. GREGORIO XV tropaeum misit Maximilianus utriusque Bavariae Dux, S. R. I. Elector.* Ad eam cum cura transvehendam missus erat *Leo Allatius*. Pauci Codices impressi Heidelbergae relicti sunt, *Otonis* nomine notati; ex MStis Arabicis duo tantum, nimirum *Elmacini* Historia Saracenicā et *Gazalius* medicus. Funesto isto bonisque litteris exitiabili tempore, quo haec fiebant, *Cel. GRUTERVS* Bibliothecarii munereungebatur. Vid. etiam *WAGENSELII* Pera Iuvenilis Loculam. III, T. II, v. 691, ubi

constat, conditor huius celeberrimae bibliothecae fuit *Augustus Junior*, (*) Dux eruditione, dicendi elegantia, humanitate et quibusvis summo principe dignis virtutibus ornatissimus, cuius aula Musis sacrarium, pietati, fidei, iustitiae templum, bonis omnibus Asylum praebuit tutissimum, sanctissimum. Ille quum circa annum quartum superioris seculi in arce Hiddesacker, bibliothecae condendae consilium cepisset, non solum per omnem Germaniam tabernas librarias et bibliothecas excutiebat, ut, quicquid rarum esset, sibi compararet, sed in plerisque etiam terrarum partibus alebat viros doctos immensis sumptibus, qui Codices manuscriptos et libros impressos bonae notae undique conquirerent, ad eumque mitterent. In Gallia negotiatoris eiusmodi munere *Abrahamus Wicquefort* functus est, (**) in Italia *Athanasius Kircherus* (***), in Belgio

A 3

prae-

fide dignissima exhibetur descriptio deportationis bibliothecae Heidelbergensis in urbem Romanam.

(*) Viris litteratis munificentissimus Conditor sub *Gustavi Seleni* nomine innotuit. Quod nomen sine dubio eam ob causam adsevit, ut lectores eo liberiora de scriptis suis ferrent iudicia.

(**) Huius viri Cl. studio MSta MAZARINIANA, quae ex CCCXCVI primae magnitudinis voluminibus, corio Turcico nitidissime compactis constant, et de publicis totius Europae rebus arcana continent, anno MDCXLVIII et seq. in bibliothecam Augustam devenerunt.

(***) a. MDCLXVI paucis mensibus ante beatissimum D. Augusti



praeter *Nicolaum Heinsium* (*) et *Leonem ab Aitzema*, Viros Clarissimos, *Isaac de la Tombe*, Bibliopola Amstelodamensis; in Helvetia *Joh. Henr. Hottingerus*; In Germania negotium in libris comparandis quam diligentissime curarunt *Philippus Heinboferus*, Patricius et Aedilis reipublicae Augustanae et gener eius *Jo. Martinus Hirt*, *Elias Ebingerus*, *Jo. Georg. Anckel*, Ser. Ducis negotiorum, Augustae Vindel. curandorum Administer, *Joachimus Clute-nius*, Argentoratensis Academiae Bibliothecarius et Professor clar., *Matthias Berneggerus*, in eadem Academ. Historiarum Prof. et Polyhistor celeb. et *Jo. Valentinus Andrae*

obitum inter alia eximia cimelia ATHAN. KIRCHERVS Bibliothecam Augustam etiam exornavit rarissimo vetustissimoque Codice quatuor Christi Evangeliorum, Syriaca lingua, Chara-Etere, quem Esfrangelo vocant, conscripto.

(*) Cum vir maximi nominis sciret, nihil gratius et acceptius litteratissimo Bibliothecae Augustae Conditori mitti posse, quam MSta antiqua, multis eiusmodi Codicibus, quos ex Italia secum adprotaverat, a, MDCLXVI eum hilarabat. Inter hos praecipui fuerunt:

Codex Membran. *Pindari.*

Codex Membranac. *Officiorum Ciceronis*

Codex Membr. *Ciceronis de Natura Deorum.*

Codex Membr. *Cic. de divinatione et fato etc.*

drae, *Jac. Andreae* nepos, Theol. Doct̃or, et Abbas Adelbergenses. (*)

In arce Hitzgera, amoenissima isto tempore summi Musagetæ sede, Bibliotheca Augusta, domicilium suum habuit usque ad annum MDCXXXVI, quo Brunsvigam et denique post octo annos a. MDCXLIV Guelpherbytum delata fuit. Cum deinde sub initium huius sæculi tantam librorum multitudinem locus antiquus non amplius caperet, a. MDCCVI sub auspiciis Serenissimi Ducis *Antonii Ulrichi* novum idque pulcherrimum, in quo adhuc custoditur, ædificium exstrui coeptum, et anno MDCCXXIII ad optatum perductum est finem. (**). Sed plura, quæ ad histo-

(*) Hic celeberrimi nominis Theologus primis atque præcipuis Augustissimi Ducis consiliariis adnumerandus est, a quo, ut multi alii, annum idque eximium accepit salarium. De bibliotheca Augusta immortaliter eo promeritus est, quod *rarissimum, pretiosissimum et vere regium opus*, puto, *Biblia Polyglotta Complutensia* a MDCXLI ei pie consecraverit. Iure nominavimus istud regium et pretiosissimum opus, nam exemplar, quod nuper in *Bibliotheca Boerneriana* fuit, ut ex litteris Lipsiæ ad me datis comperi, Serenissima Saxoniae Princeps Regia pro ducentis et septuaginta thaleris emit.

(**) Confer. RVDOLPH. ANTONII FABRICII, V. Cl. Diss. de transpositione bibliothecarum memorabili etc. Helmst. 1724. in 4.

historiam Bibliothecae Augustae pertinent, persequi, instituti nostri ratio non permittit. (*) Quare ad propositum veniemus et in his pagellis Codices quosdam MStos Graecos, quibus ea superbit, recensemus. In tanta eorum copia autem exsplendescunt velut inter ignes luna minores:

Man-

Codex *Xenophontis* membranaceus in fol. Continetur eo α) *de administratione domestica liber, sive Oeconomicus* (** β) *Libri VIII de Cyri Maioris institutione, vel ut Cicero in Bruto vertit, de Cyri vita et disciplina, γ) Libri VII de Cyri Junioris, filii regis Persarum Darii expeditione in Asiam superiorem contra fratrem natu maiorem Regem Artaxerxem Mnemonem.* Codex hic integer est et bonae notae: Exaratus esse videtur seculo decimo tertio. Pertinuit olim ad *Caroli I Mantuani Ducis* bibliothecam, post captam vero anno tricesimo superioris seculi a Caesareis militibus

(*) Plura dabit **IACOBVS BURCKHARDVS**, Vir de elegantioribus litteris optime meritus et quondam, dum viveret, Fautor meus in cineribus adhuc omni pietatis cultu venerandus, in *Historia Bibliothecae Augustae*, cuius Pars I Lipsiae 1744 P. II et III ibid. 1746 quaternis prodire.

(**) Hunc *Xenophontis* librum quintum esse Memorabilem, ex eo intelligitur, quod praefationem propriam, de more librorum singularium, non habet, sed eiusmodi exordium, quale secundus, tertius, quartus, Memorabilem liber habet.

Mantuam venit in Bibliothecam Augustam, ubi inter antiqua MSra numeros 71, 19. habet. (*)

Codex *Luciani Samosatensis* membranaceus in fol. Licet recenti manu scriptus sit, optimae tamen notae. Vfus est librarius antiquo exemplo. Venit eodem tempore nimirum a. MDCLVI cum *Xenophonte* ex Ducali Mantuana in bibliothecam Augustam, in qua iam numeris 86, 7. insignitur.

Codex *Euripidis* chartaceus in fol. Non omnes Tragoediae eo continentur, sed tantum hae quatuor: *Hecuba*, *Orestes*, *Phoenissae* et *Alecestis*. In margine scholia adscripta sunt, alia rubro, alia nigro litterarum colore. Codex iste, qui magni faciendus est, seculo decimo tertio exaratus est et pertinet quondam ad *Marquardum Gudium*, Virum tam eruditionis fama quam dignitate, dum viveret, illustrem. In Bibliotheca *Augusta Carolina* hodie inter *Codices MStos Gudianos* numero 15 notatur. (**)

Codex Rhetorum antiquorum quorundam Gr. in fol. Continentur eo (α) *Dionysii Halicarnassaei* ars Rhetorica,
B
(β)

(*) Codices MSti in *Bibliotheca Augusta* in tres classes dividuntur. Primam classem constituunt illi, quos Augustus comparavit; secundam classem *Weissenburger* sic dicti et tertiam classem *Gudiani*.

(**) Anno huius seculi decimo Codices MSti Gudiani Guelpherby-



(β) Eiusdem liber de idiomate sive Charactere dicendi, quo usus fuit *Thucydides*, (γ) *Demetrius Phalereus* περὶ ἐρμηνείας, (δ) *Apfinus Rhetor* περὶ προομιῶν. Codex iste Chartaceus est et seculo decimo quarto scriptus esse videtur. Pertinuit olim ad *Marquardum Gudium*. Hodie in *Biblioth. Aug. Carolina* inter Codices Gudianos numerum 14 habet.

Codex *Apollonii Pergaei* in fol. Complectitur quatuor libros Conicorum. Codex chartaceus est constatque foliis 67. Manu recentiori scriptus e Bibliotheca, ut videtur *Matthaei Macigni*. Liber I *Eudemo Pergameno* inscriptus est his verbis: Ἀπολλώνιος Εὐδήμῳ Χαίρειν. Ἐν τῷ σώματι ἔν συνάγεις κ. τ. λ. Inter Codices Gudianos MStos in *Bibl. Aug.* numero 12 insignitur.

Codex *Isaaci Tzetzi* Schol. in *Lycophronem* Chartaceus in fol. Exaratus est seculo decimo quarto et pertinuit olim ad τὸν πᾶν *Gudium*. Incipit Poeta λέξω τὰ πάντα νητρικῶς et Ad quae Scholiastes τῆτο σχῆμα καὶ ὁ ποιητικὸς τρόπος παρεπιγραφῆ καλεῖται, ὅτι ὁ ἄνωθεν ἐκ ἐμφαίνεται, δεικνύται παρεπιγραφόμενον ἐκ τῆς κειμένης γραφῆς. In *Bibliotheca Augusta Carolina* inter Gudianos numerum 27. portat.

Co-

tum delati sunt. Illustris LEIBNITIVS in tanto thesauro, Augustae Bibliothecae acquirendo princeps internuntius atque adiutor exstitit. Confer. τῷ πᾶν BURCKHARDI Hist. B. A. P. I. p. 263

Codex τῶν τῆ Θεοφράστῃ Χαρακτήρων in fol. Est iste seculo decimo quarto in charta scriptus et continet tantum octo ista capita, quae in plerisque Codicibus MStis desiderantur et ab *Henr. Stephano* ex Italicis Codicibus primum *Parisiis* MDLVII, octonis fuerunt publicata. Caput I agit περὶ Δεισιδαιμονίας. Praeterea in hoc Codice continentur. (α) Anonymi Problemata Rhetorica Graece, (β) *Aristoteles* de arte Rhetorica, (γ) Figurarum, quarum *Hermogenes* in libris suis de inventione et ideis meminit, *Conspectus*. Exstitit quondam Codex iste non contemnendus in bibliotheca cel. *Gudii*. Hodie in *Bibl. Aug.* inter *Gudianos* Codices MStos sub numero 26 adferuatur.

Codex *Claudii Ptolemaei* chartaceus in fol. Complectitur *Claudii Ptolemaei* Harmonicorum libros tres. Exaratus esse videtur seculo decimo tertio constatque foliis sexaginta quinque et dimidio. Singulis libris syllabus capitum praemissus est. Initium est: Ἀρμονικὴ ἐστὶ δύναμις καταληπτικὴ κ. τ. λ. In bibliotheca *Aug. Carolina* Codex iste inter *Gudianos* numerum 9 habet.

Codex *Diophanti Alexandrini* in fol. Est chartaceus, scriptus *Sec. XIV.* complectitur *Arithmeti*corum libros VI constatque foliis 88. In margine notae Anonymi, quibus obscuriora *Diophanti* loca illustrantur et faciliora redduntur, adscriptae sunt. Hos VI libros sequitur eiusdem

dem Auctoris Diff. *περὶ πολυγώνων Ἀριθμῶν*. In bibliotheca Augusta inter Gudianos sub numero I custoditur.

Codex *Ἰο. Pediasimi, Bulgariae Chartophylacis* in fol. Floruit auctor seculo post Christum natum decimo quarto, et Codex iste seculo subsequenti in charta scriptus est. Continetur autem eo Synopsis Geometrica de dimensione et partitione terrae constatque foliis 23. Incipit: *πολλοὶ τῶν ἀμυήτων Γεωμετρίαν μὲν ἀξῆσι καλεῖν τὴν εὐκλείδου τῶν Θεωρημάτων σοικείωσιν κ. τ. λ.* Inter Gudianos Codices MStos in Bibl. Aug. locum suum habet sub numero 8.

Codex *Menandri Sententiarum Paraeneticarum* in 4 Chartaceus Codex est et Seculo decimo quarto exaratus esse videtur. In fine leguntur: *Δόξα τῷ Θεῷ καὶ σωτηρίᾳ τῷ γράψαντι*. Pertinuit olim ad *Marquardum Gudium*. Ex quo autem in Bibliothecam Aug. pervenit, inter Gudianos numero 49 notatus reperitur.

Codex *Procli Diadochi εἰς τὰ ἔργα καὶ ἡμέρας τῆς Ἡσιόδα*, in 4. Manu recentiori Codex iste in charta scriptus est constatque foliis 122. Initium huius operis est: *ὁ σκοπὸς τῆς βιβλίου παιδευτικὸς ἐστὶ κ. τ. λ.* *Marquardus Gudius* possedit quondam eum, a quo venit in Biblioth. Aug. ubi iam inter Gudianos numerum 74. praefert.

Co-

Codex *S. Patris Basilii M.* in 4. Continetur eo *S. viri Oratio ad Juniores*, quomodo e lectione librorum gentili-um possint proficere. Codex chartaceus est bonaeque notae. Exaratus esse videtur seculo decimo quarto. In bibliotheca Augusta hodie inter *Gudianos Codices MStos* numero 44 insignitus est.

Codex *Niti*, ex *Praefecto urbis Constantinopolitanae Monachi atque Abbatis* in 4. Floruit auctor seculo post natum Christum quinto et fuit discipulus *S. Io. Chrysostomi*. A *Philippo Labbeo* in *Diff. Hist. de Scriptoribus Eccl.* Tomo II do p. 125. et a *Leone Allatio* in *Diatrise de Nilis eorumque scriptis* p. 35. confusus est cum *Nito* Patriarcha seu *Archi-Episcopo Constantinopolitano*, qui integris 938 annis est iunior et Anno Christi 1378 demum vixit. Hic enim, non vero noster est auctor *orationis supplicis ad Deum contra barbarorum incursionem, bellum intestinum, famem, pestem, et mortem subitam*, quam *Jo. Sambucus* e Graeco sermone in Latinum transtulit et *Patavii* 1555 in lucem edidit. Sed ut redeamus ad Codicem nostrum, continentur eo *Nili* opera ascetica. Scriptus est seculo decimo quarto in membranis et in magno pretio meretur haberi. Primum horum operum moralium inscribitur: *Νείλῃς Μοναχῆ περὶ προσευχῆς κεφάλαια ε ν γ.* i. e. *Nili Monachi de oratione capita* 153: deinde sequitur *τῆ ἀντὶ Νείλῃς Ἀσκητῆ εἰς τὰς ἐντῶ λογισμῶς* i. e. *eiusdem Nili Affectae de octo vitiosis cogitationibus.*



In Codice, qui in *Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi* adservatur, testante *Petr. Lambecio* Comment. de Biblioth. Vindob. Libr. IV, p. 144 titulus huius operis ita legitur: τῆ Ἀββᾶ Νείλας περὶ τῶν ἡ λογισμῶν τῆς καρίας. Tandem subiunctus est eiusdem *sermo Affecticus*. In Bibliotheca Augusta Codex iste inter Gudinos numerum 45 habet.

Codex S. *Anastasi*, *Monachi in monte Sina* in 4. Floruit auctor seculo post Christum natum sexto et fuit Patriarcha Antiochenus. Continentur eo viri S. *varia capita orthodoxae fidei*. Codex iste in membranis scriptus est, constat foliis 46 et dignus omnino est, qui cum editione Graeco Latina *Jac. Gretseri*, S. J. quae *Ingolstadii* 1606. in 4. prodiit, conferatur. In celeberrima Bibliotheca Augusta Carolina inter Gudianos Codices MStos numerum 53 praefert.

Sed cum brevitatis, cui iam studeo, me longiorem esse vetet, filum abrumpo idque adgredior, quod occasionem huius scriptionis subministravit. Constituit nimirum Musarum nostrarum alumnus dignissimus,

ERNESTVS CHRISTOPHORVS
SCHELPER,

SCHEFFENSTADIENSIS

disces-

discessionem a nobis facere et in Academiam *Iuliam Carolinam* se conferre, ad sublimiora litterarum studia pertractanda. Is ita strenue litteris haecenus operam dedit, eosque in humanitatis Studiis fecit progressus, ut non solum dignum eum, qui in Academiam eat, publice declaremus, sed et aliis disciplinae nostrae alumnis exempli imitandi instar proponere nulli dubitemus. Ante vero, quam Musas in *Anna-Sophiano* nostro relinquat, publica oratione, verbis latinis concepta, de *praecipuis Germaniae bibliothecis* differet. Quo officio peracto, Patronis et Magistris, quorum opera adhuc usus fuit, animum pium et gratum declarabit. Hunc comitabuntur et vires in dicendo periclitabuntur duo adhuc iuvenes ingenii laude florentissimi nobisque ob indefessum in litteris studium et morum elegantiam carissimi. Et alter quidem

I O. C H R I S T O P H O R V S
O E S T E R R E I C H,

REGIO-LOTHARIENSIS

Filius b. Abbate Amelunxbornensi


A N T O N I O A V G V S T O

dignissimus.

Oratione Latina *Singularia et prorsus memorabilia Bibliothecae Augustae Carolinae* enarrabit. Alter autem

IACO-

Ha 148 ~~61~~ X 356 0154
VD 18



IACOBVS HENRICVS
GERMAR,

REDDEBERA-HALBERSTADIENSIS
Viri plurimum Reverendi
HENRICI IOACHIMI GERMARI

Pastoris ibidem meritissimi filius optimus
eodem sermonis genere *historiam Bibliothecae Regiae Bero-
linensis* strictim exponet.

Non est, quod in commendandis hisce oratoribus
adolescentibus multi verbosique simus. Si per vestra ne-
goria licuerit, nulli dubitamus, *Patroni atque honestarum
litterarum Fautores Amplissimi*, quin futuro die Veneris
sub horam secundam pomeridianam ad audienda Jave-
num in spem patriae natorum specimina sitis accessuri ve-
stroque insigni favore ipsorum conatus levaturi. Nos sin-
gulari tantae humanitatis officio ea, qua par est, animi ve-
neratione et observantia parati atque obstricti data occa-
sione satisfacere studebimus. Dabam Scheningae in Du-
cali Anna-Sophianeo d. VI Aprilis A. R. S. MDCCLV.




Serva, *Guelphiadam*, Deus, Optime, Maxime, stirpem
Et nostram clemens porro tuere scholam!



924





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

B. m.

IIa
148

DE
ODICIBVS
LIS GRAECIS MANV
IN BIBLIOTHECA
A CAROLINA SIVE
LPHERBYTANA
RAEFATVS

AD
VALEDICTORIVM
OVICALI APVD SCHENINGENSES
APRILIS A. R. S. MDCCLV
OST MERIDIEM SECVNDA
ELEBRANDVM
M SVMME REVERENDVM
OLAE NOSTRAE EPHORVM
NGE GRAVISSIMVM
ES ITEM AC PATRONOS
NIS ORDINIS
ENSE COLENDOS
T, OBSERVANTIA ET STUDIO
N V I T A T
ADAM SCHIER.

HELMSTADII
PAVL DIETERIC SCHNORR
CAD. TYPOGR.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)